81

15



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-septimâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LIII.

M. TUSSANO-GILBERTO BOULAND,
Regis Consiliario & Medico ordinario in ejus Castelleto,
Doctore Medico, Præside.

An Fasciæ infantibus, Loricæ puellis?

I.



HOMINE nil majus in terris generatur, nil quidquam huic simile viget aut secundum : cui elegantiam corporis, soliditatem simul, dignitatem oris, nec non & gratiam vultûs benigna concessit Natura? Quam scita & aptè concinnata artus inter proportio, & partium harmonia! forma, sanitas, vigor, diuturnitas, quàm præclarâ dote in eo consentiunt! Eum meritò rerum terrestrium regem animantiumque imperatorem salutaveris; quoniam verò non

ſingulos ſors eadem idemque decus excipiunt, gloriam dixeris generi universìm datam potiùs, quàm ſingulis, quibus ſunt amara dulcibus permixta; ne videlicet ſuperbiant plus nimiò : ſic qui formâ egregiâ tollit verticem, nutat intùs pravo ſtomacho : qui ſanitate gaudet firmâ & vegetâ, vitium celat tacendæ conformationis. Forte ita eſſe legem naturæ exiſtimes, ut multa inter generis ejuſdem, pauca ex omni parte beata excellant, quemadmodum umbræ collocatæ tabellarum pictarum, lumina præcipua perſonarum extare jubent, & quaſi foras prominere? Quonam fato, huic legi ſervitutis ſolus homo foret obnoxius, quam legem animalia diverſa neutiquam patiuntur? Seu enim ea ſpectes quæ ſub aquis degunt, ſeu quæ Aëra tranant pennis, aut quæ accubant in ſylvis, aut tandem ea quæ nobiſcum converſantur intra domos noſtras; erunt alia quidem aliis pulchriora, multa ſine virtutibus corporis, nulla cum vitio & malè conformata. Omnia implent naturæ ſuæ data tempora, cuncta valent, vigent, nulla languent tædio aut ægritudine; dum homines plures pereunt, quàm vivunt, è viventibus in ipſo pubertatis limine multi vitam ponunt, & è cæteris plerique excedunt immaturi, plurimi vivunt male conformati & peccantes in aliquâ corporis parte. Credemus Naturam affectam ſenio germina effœta educere & fruſtranea, & propterea fœtus ignavos, ſine nervis, trudere in lucem? Injectam hanc olim Naturæ calumniam, Socrates in veram cauſam rejecit: agimus ſedulò, ne generoſus ſanguis coeat in brutis cum ignavo & imbecillo, ne geminentur placida immitibus, ipſi magis libidini quàm rationi obtemperamus. Cauſa eſt altera mali : animalia naturam ſequuntur ducem optimum, & membra eorum in ſtatas menſuras & proportiones debitas abeunt liberè, vi nullâ artis cogente, nullâ reprimente; à quibus tamen proportionibus, mirùm quantùm pendeat ſanitas corporis & robur partium : homines autem, parente naturâ ſcilicet doctiores, opus ejus emendare cupiunt & corrigere, corpora infantium mollia & uda inſtar ceræ, fingunt artificio novo improbæ conſuetudinis, ſtultive præjudicii; & cum naturam rectam torſêre, bonam corrupêre, pulchram deformavêre, tùm demùm ſibi placent ingeniumque ſuum demirantur.

Sua maribus ſunt deſtinata tormenta, ſed majora fæmellis. Invaluit mos, ut illæ laudarentur formæ, non quæ ſunt corpore ſolido, ſuccoſo, colore vero, ſed quæ graciles, junceæ, demiſſis humeris, proceræ forent & delicatulæ; hinc Faſciæ ſtrictæ circùm corpora infantium, hinc Loricæ duræ circùm pectora puellarum, hinc altiuſcula eriguntur calceamenta, ut quæ puella erat naturâ bonâ & ſincerâ, curando malè evadat debilis & imbecilla. Uxor deducitur domum, matrem factam pudet ſui decoris; uterum premit arctis veſtibus, iiſdem uritur calceis, imò ne venter antrorsùm projectior quaſi fructum prodat, virgam inducet Balænariam, quâ, rigore indeflexo vim uteri nitentem coerceat, hominemque vix dum conceptum, jugo opprimat humanarum miſeriarum : ſic, cum abdominis muſculi contrahuntur, cogitur uterus in anguſtum, ægrè è pelvi ſuos motus poteſt experiri, infans perit abortus, vel ſi eſt ejectus ad lucem, diſtortus, infirmuſque lugebit diû & noctû, quod matris ſuæ peccatum eſt. Ergo puellæ intactæ adhuc, ubi primùm conjugii præmium cognoveritis, omnia vincula exuite veſtium veſtrarum, omnem excutite ſervitutem conſueti moris; mollis & certa proles permittatur naturæ, nec corpus tenerum deprecantis nati faſciis colligate; nec, ubi vos matres agnoſcet dulci riſu, loricis duris involvite, quæ, ut conformationi membrorum obſunt non parum, ita & ſanitati nocent quàm plurimùm.

I I.

PARTIBUS omnibus cujuſcumque corporis, ſunt certæ inter ſe leges proportionum, à quibus, niſi vi coactæ, recedunt nunquam. Unâ, vel alterâ parte individui cujuſlibet cognitâ, ad cæterarum cognitionem facilè deveniri poteſt; ita omnes quodam concentu ſibi invicem reſpondent. Unde Philoſophi, dum genus humanum exigunt ad haſce leges, deformem vix aut fœdum hominem vident in naturâ, quoniam in eo qui turpiſſimus eſt, partium proportiones deprehendunt, ita inter ſe concordes, ut vitiis quæ reprehendimus, ſublatis aut correctis, multo vitioſior forma redderetur: his quorum ſunt reſimæ patulæque nares, oblongæ atque incurvæ nocerent, vel ſolâ diſcordiâ cum cæteris faciei partibus. Qui in vultu, concentus micat, viget in cæteris partibus. Exiſtit autem, dum cunctæ partes in embryone incluſæ, & quales explicabuntur ætate ineunte, evolvunt ſeſe liberiùs, obice nullo aut repagulo naturæ conatum impediente. Hæc corporis harmonia ab oſſibus pendet, quibus fundamentum ſubeſt primarium & commune, Spina. Fruſtra ſpectandus erit juvenis floridâ facie, nigris oculis, capillo nigro, oris decore, infelix ſummâ, ſi vitio aliquo ſpina mulctetur graviter, à quâ corpori ſtatus & pulchritudo præcipua. De naturâ, ſitu, variiſque ſpinæ inflexionibus eſſent ſcribenda plurima, quæ mittimus ad anatomicos; pauca ſubjicimus quæ ſcopo noſtro inſerviunt.

Spina columna eſt oſſea, ad pyramidis figuram non nihil accedens, in os ſacrum, quaſi in baſin impoſita. Pyramidem contexunt 32 oſſicula, ſpondyli ſeu vertebræ dicta, quæ junguntur inter ſe mediante corpore ligamentoſo, quibus vincturam præterea addunt ſuperficies cartilagineæ; inſuper omni ex parte circumdantur fibris ligamentoſis à ſuperiori vertebrâ, in inferiorem deſcendentibus; unde, non male habebis totam ſpinam quaſi incluſam ligamento quod poſtulamus appellari *vaginale*. Quid ex hac ſtructurâ eveniat ſi liberum ſit naturæ, fugit neminem in rebus phyſicis tantiſper verſatum: vertebræ omnes prementur pariter, pariter colluctabuntur, ſuum locum ſervabunt omnes, omnes ordine creſcent æquali & ſine errore viæ: Ita columnæ liquoris dum ſibi invicem reſiſtunt & æqualiter, retinebuntur in vaſe ſuo, nulla victrix effugiet; tollatur Aër huic incumbens, ſtatim dimovebitur, ſuperataque à vicinis aſcendet. Idem de vertebris; rumpatur, debilitetur ligamentum hâc vel illâ parte, ſtatim excidet vertebra fineſque deſcriptos tranſiliet cum diſpendio vicinæ, ſuique dedecore; projiciatur in poſteriorem partem, κύφωσις, vel κύρτωσις oritur; intus aufugiat, λόρδωσις & ſternum prominet; lateralia ligamenta ſeu vaginale infirmentur, inflectetur ſpina, inclinabit in latus, & erit σκώλιωσις. Idem malum oriri poteſt à cauſis internis: ſic ex tuſſi, ex athſmate, empyemate, hydrope gibboſitas, obſervante Divino ſene. Has cauſas prætermittimus nunc, ut præſenti quæſtioni non cohærentes. Spina licet innocens, partis alterius dolentis pœnam ſæpè cum eâ ſortitur; muſculi lumborum, dorſi, brachii tendantur nimiâ vi aut impariter, ſpina tunc in hoc vel illud latus malè amabit vergere. v. g. omoplata unâ parte depreſſior ſit, ſpinam etiam inflecti & in contrarium ſursùm projici neceſſe eſt. Ita ex uno latere deprimatur Ilium, accidet etiam ſpinam indecorè detorqueri.

Spina nullo laborat vitio; ideò-nè rectus es, & factus ad unguem? Minime, ſi aliquo morbo tentantur partes ad concentum ſtabiliendum neceſſariæ. Ut ſuæ Thoraci ſeu pectori virtutes, ſic etiam ſunt vitia: coſtis, claviculis, ſterno, ſcapulis præſcriptæ ſunt proportiones, menſuræ, & limites;

intra quæ ſi non conſiſtant, læditur recta corporis conformatio. Ligamenta quibus oſſium accretio, figuræ eorum & fines committuntur, Thoracem etiam dirigunt. Si relaxentur; citò peccabunt oſſa Thoracis, fient tubera, deformabitur ſternum, gibboſum, aut carinatum evadet, raroque inde ſpina evaſerit incolumis. Neque ad corporis formam, ex oſſibus innominatis accedit gloria tenuis: in viris altiora ſunt, in feminis latiora extrorſùm magis vergunt, nec ſine honore atque utilitate; oſſi ſacro & inter ſe ligamentorum ope cohærent; debilioribus ligamentis à ſe recedent, propter Cartilaginum mollitiem fient deformitates, tubera, curtatio partis, claudicatio, Luxatio, &c. Similiter ſimilibuſque de cauſis peccant extremitates. Vitia omnia hæc de quibus diximus, facilius irrepere infantibus, edocet oſſium fœtus cognitio. Oſſa enim tunc teneriora, epiphyſes habent quæ, cum diaphyſi ſeu medio oſſe committuntur; Epiphyſes, ruptâ molli & delicatâ Cartilagine, dirimuntur; è ſedibus ſuis excitæ, junguntur obliquè poſtea oſſibus, quâ ipsâ re membra inæqualiter tument atque incurvantur. Præterea oſſa ſponte dimoventur, ligamentis ut pote facile extenſilibus ultra tonum reſilientibuſque difficile in ſtatum priorem. Corpus ſui impatiens, prurit uſque extumeſcere; ſed intra cancellos à naturâ poſitos remanet decenter, & ſingulæ partes locum, formam, honorem ſortiuntur, dum reſiſtentia proportionalis & debita objicitur omnibus: hùc vel illùc vergat victoria, ſuperiora aut inferiora evadant, premantve impariter ligamenta, quæ rectæ corporis conformationi præeſſe, non male credideris, pars aliqua ſtatim projicitur indecorè, deviat, apta & jucunda hæc delabitur harmonia diſcordiâ partis unius. Ex dictis jam ſubolet quanta labes corporum formæ à Faſciis & à Loricis.

I. I I.

FŒTUS preſſus pariter, ſine vitio creſcit in utero matris; è carcere erumpit in lucem, non nihil curvis artubus: molem cerea m, mobilem vides motu, tripudio, agitatione gaudentem; motus ne reprimantur ergo: ita ſuadet natura, infans rogat modis flebilibus; præjudicata opinio, conſuetudo vincunt; jam vincula ſubiit fœtus, jam (dira præſagia futuri ſervitii) artus circum teneros faſciæ longæ diſponuntur. Errant in amicitiâ parentes, ſinceramque naturam incruſtant, dum volunt perficere: quod ei videbitur manifeſtum, qui nutrici puerum involventi aſſederit ſemel, remque omnem attentè conſideraverit.

Paratis linteis cateniſque, arripitur infans nil tale cogitans, novâ exultans luce, & fidens libertati; reluctantes manus & indociles cohibentur durè: vagienti ſub axillis immittitur primò linteum, mox in tenellos pedes invadunt, quos recalcitrantes licet affigunt intrà linteum, altero alteri malè appoſito; poſteà injiciunt pannum, qui coercetur fune non laxo, opus perficit & firmat faſcia, quæ ſpiris ligat ingentibus orbes amplexa orbibus à pectore ad calcem.

Nec minimam adhibet vim nutrix in ſtringendo puello, ne forte ſit in eo quicquam reſidui motus, quo nodos ſolvat ſenſim, paulatimque ſe in libertatem vindicet. Quid indè evenit? Dolet omnis ambitus corporis, preſſio reddit lentius incrementum corporis, non citò evolvent ſe partes, raró vel potiùs nunquam premuntur *proportionaliter*. Extremitates ſeu epiphyſes oſſium urgentur minùs, fortiùs partes mediæ, tubera jam fiunt facilè; ſpina patitur deformitates, extruduntur vertebræ ex ordine ſuo emotæ, preſſo nimiùm aut impariter ligamento vaginali. Ligamenta interna debilitate antagoniſta-

rum fortiora evadunt, & omne turbatur æquilibrium à quo recta corporis conformatio. Musculis brachii, abdominis in contractionem coactis adducitur spina & inflectitur; pelvis exurgit altior sed non sine periculo, qui rarò latus erit, atque naturæ usibus accommodatus. Unde fœminæ proceriores graviditatem & partum periculosiora experiuntur. Nec fasciationem minùs incusant extremitatum errores: premantur nimiùm, extendantur ligamenta, fugiunt è locis suis ossium capita liberiora, & crescunt ultra modum; stringantur Fasciis adductioribus pedes, fiet accretio circulariter, crura erunt distorta, habebis Sisyphum & compernem; varum aut valgum sæpiùs, dum eadem causâ, extùs modò, modò intùs facillimè projiciuntur malleoli; quàm sæpissimè vitia hæc eveniant neminem fugit, nisi in rebus anatomicis rudem atque planè hospitem.

E Fasciis tandem expeditur infans, alia eum vincula excipiunt, duriora, si molle & tenerum puellæ corpus exceptura sint. Formam elegantem effingere ambiunt; nec in tenui labor est: addendum hîc, illinc detrahendum; quod deprimitur excitandum, compescendum quod eminet. Hùc tendunt artes innumeræ, quæ thoracem latum, depressas claviculas, alvum dejectam nec projectiorem efficiant, mammas redundantes castigent, modulos præscribant elegantes, atque dum ossa innominata educunt, faciant habitum proceriorem. Inter instrumenta, quibus talia sperantur, invaluit *Thoracis* species quædam, non ferro hodie, sed rigidissimis & quasi ferreis virgis conferti; robur certè & æs triplex erat illi circa pectus, qui primus delicatulæ artus puellæ huic tormenti generi ausus est admovere. *Loricæ* inferiori parte strictiores, superiore latiores Balænariâ virgâ rigent, quæ aptè licet & affabrè cædantur, labore tamen multo, multoque renisu applicantur corpori, & porrò debent applicari. Parte posticâ, quâ resident duæ virgæ rigidissimæ, primariæ & quasi totius rei cardines, apophyses transversæ vertebrarum ut & costarum eminentiæ violenter urgentur; ligamenta externa ferunt extensionem nimiam, & compressionem; hinc necessariò prævalent interna; costæ inferiores duæ spuriæ tormenti hujus vim totam atque impetum recipiunt, unde immobiles stant & quasi fixæ continentur, eas autem costas natura voluerat moveri liberè, & quodam modo fluctuare; scapulæ claviculæque ad spinam ita adducuntur, ut luxatio immineat; costæ veræ à parte anticâ ad posticam magnâ vi trahuntur; ne venter, quòd minùs decorum putant, projiciatur, in Loricæ partem anteriorem infigitur bacillus leviter inflexus ex metallo, ligno, ebore, Balænariâ virgâ confectus, quo prominenrior umbilicus multùm premitur: sic urgetur unde quaque & incauta si vellet mutare situm puella, repellitur durè monita, nec sine pœnâ culpæ.

Loricæ illæ latiores licet in parte superiori, ab omni culpâ non carent: *Vittæ* constringunt & torquent humerum, qui tumet sæpè rubicundulus; nervi brachiales ut & musculorum principia, scilicet magni dorsalis, rotundi, scapularis, &c. strangulantur. Quæ vitia exurgere necesse sit ex talibus vestimentis, patet: succi nutritii cursus & distributio fiunt inordinatè: his carceribus detentæ diem miserum trahunt puellæ, non audent, neque sine dolore possunt à situ præscripto tantisper deflectere, nisi absente matre, aut immiti nutrice furtìm indulgeant sibi, tunc humerum hunc vel illum expedire, vincula excutere, & laxare properè; at nimiùm, nimiùmque extenta elongantur adhuc ligamenta & impariter, nævique non reformidandi mutantur in vitia magna, nullâ arte, aut labore emendanda. Felices puellas, si periculum inde fieret tantùm decoris aut staturæ, neque sanitati vitæque detrimentum pararetur!

IV.

ANIMALIS œconomiæ virtus & ordo pendet à circulatione humorum, qui eâ diffundantur lege, ut ad partes quaslibet ſymbola deferatur, nec major, nec minor debitâ : pro earum diſtantiâ à corde, ſtructurâ, reniſuque accipiunt ſanguinem ; occlusâ aliquorsùm viâ, ſanguis refluit, & quâ data porta, erumpit ferox. Ut ſanitas conſiſtat, cavendum eſt ne inſtitutus ordo naturæ perturbetur. Circulatio pendet à reſpiratione, quæ non exercetur niſi movente abdomine ultrò citròque, arctato nunc, nunc laxato pectore: quæ actiones, niſi liberè, lætè, facilè fiant, vita languet, laborant omnes corporis functiones. Comprimatur externus corporis ambitus, reſiſtentiis ad ſuperficiem diſpoſitis, minor debitò fluidorum copia vaſa externa tranſmittetur, parte ſuperfluâ neceſſariò redundante in vaſa interna, quæ libera ſunt, onuſque non ſuum coguntur ſuſtinere; fiat compreſſio circa thoracis aut abdominis regionem, pejora evenient & citiùs; hinc infantes pereunt in cunabulis, puellæ innuptæ adhuc ponuntur tumulo, aut languent infirmæ, Faſciarum, aut Loricarum victimæ immerentes.

Ætas infantium plethorâ, ut plurimùm, laborat; vaſa mollia, pulpoſa cedunt facilè; Faſciis conſtringentibus ſuperficiem corporis, in vaſis cutis capipillaribus ægrè fit circulatio, ſuccus nutritius malè defertur & motu irregulari; indè macies, tabes, hectice, aliorumque morborum genera. Sanguis ire, redireque viam ab extremis cum lætè non poſſit, majori copiâ versùs vaſa interna refluit, totâ mole ſuâ incumbens. Vaſa pulmonis & cerebri, ut pote molliora, replentur ultrà modum; brevì actum eſt de vitâ miſelli infantis; oculi jam extuberant, liveſcunt palpebræ, ferreus imminet ſomnus, ſanguis colligitur hæretque in pulmone aut cerebro, unde revocare viam nequit impeditus, & qui vivax erat virorumque fortium ſtirpem propagaturus, perit apoplexiâ, aut peripneumoniâ; ſi adfueris vocatus opportunè, abjiciantur ſtatim faſciæ, laxetur puer, & dimidium mali jam ſuſtuleris. Eryſipelata, puſtulæ, tumores inflammatorii, morbi cutis innumerabiles, febres multæ quæ ſæpiùs ſubſequitur mors nec pede claudo, incuſant plerumque Faſcias; itaque ſi animus eſt multos infantes morti certæ devotos ſervare, ſummi materiem mali, mittamus procul vincula.

Nec ſanitati nocent minus Loricæ; comprimunt, ut vidimus, imprimis abdomen, & coſtas ſpurias inferiores duas ita torquent, ut in curvam figuram abire cogantur. Quod obſervavit Anatomicorum ſeculi hujus Princeps, * Scholæ Pariſienſis decus, cui, ſi quid ſolidum aut verum de loricis ſcribimus hodie, debere memores nos fatemur. Quæ & quanta, ex illâ coſtarum incurvatione, malorum ilias oriatur, patebit abdomen apertum vel leviter inſpicienti. Cuncta abdominis viſcera repelluntur ſursùm, coërcetur atque impeditur Diaphragmatis motus, qui ægrè fit & reluctante abdomine; tum laborabit pectus, minor erit Thoracis dilatatio, minorque Aëris quantitas inflabit pulmonum veſiculas; hinc reſpiratio difficilis & parva, mala hæmatoſis, anhelatio, athſma. In arctius redacta abdominis viſcera ſuccos ſecernunt, elaborantque difficiliùs; eorum diametri minuentur, obliterabuntur eorum colatoria; unde chloroſis, cardialgiæ, ſpontaneæ debilitates, obſtructio, ſchirrus, malaque eorum pediſſequa. Vas illud ingens, à quo, tanquam à fonte communi derivatur vita in partes inferiores, patitur compreſſionem multam; ſanguis copiâ minori inferiorum vaſa replebit, unde menſium ſuppreſſio, paſſio hyſterica; dum inopiâ languent inferiores corporis partes, nimias opes non ferunt ſuperiores; vaſis inferioribus viam ſanguini negantibus, vaſa ſuperiora, libe-

* M. Winſlow, Mem. Acad. des Sc. année 1741.

riora urgentur pondere ; unde rixæ atque tumultus partium. Evenient Palpitationes, polypi, Phthises, Cephalalgiæ, anevrysmata, apoplexiæ, mortesque subitæ & immaturæ. Quæ demonstrant partium anatome, circulationisque leges, confirmat experientia rerum quotidiana, cum genus fœmineum circumdent morbi innumeri, quos ad vestimentorum suorum vincula diversa merito referas. Quæ formæ elegantiam brevem & fluxam pretio tanto mercantur ; ipsæ ægræ, graciles, macilentæ, nulliûs vigoris, nulliûs corporis daturæ progeniem vitiosiorem.

V.

At enim, spina debilis fulcro eget quo innitatur invalida. Quasi verò, qui os hominis & vultum ad cœlum erexit, possit abduci de viâ ; quasi tripudium & agitatio valeant minùs, quam carceres & loricæ artubus confirmandis, aut suppetiis humanarum artium indigeat naturæ potentissimæ industria. Planta, tenui filo nitens, rectitudini suæ glebas officientes superat victrix. Animalia cætera in formam debitam exsurgunt, & imperfectus esset labor naturæ circa hominem solum, medioque in conatu deficeret ? Sed, quæ suademus, jam exsequuntur nonnullæ gentes mortalium : septentrionales populi, Americani, Africani, vinculis infantes nullis impediunt, & gibbosos, compernes, valgosque ignorant ; negotio minori parturiunt mulieres ; qualis fuit robore pater, talis est filius non degener. (a) Regio est una sub Arcto posita, ubi cura multò etiam minor est infantium, libertas nutritionis : vix natos & rubentes adhuc deponit mater in loco communi ; hîc videres infantium cunabula strata junco palustri : circumstant vasa pleno lacte undantia, vel sero, adjacent propter unumquemque infantulum calami seu fistulæ, quibus possint ducere liquorem nutrificum. ; adsunt quidem primis diebus mulieres quibus committitur provincia, ut aptent digitulis calamos leves, sugentibus labantes & invalidas sustineant manus : vix quartum diem adepti sunt, cùm, ministris inutilibus, sibi jam provident ; intra sextum mensem incedunt recti sanique ; cùm duodecimum obtinent, gestiunt paribus colludere, nulli infirmi, deformes nulli. Sed, dùm nullo fasciarum adminiculo sustinentur infantes, periculum est, ne à Gerulis duriùs attrectentur, spondyli vel repentino motu violentiùs diducantur, vel dùm parvuli crebriùs in unum latus procumbunt, enervatis in aliquâ parte, quibus continentur vinculis, disparili incremento augeantur : (b) *propter summam enim*, aient, *omnium membrorum teneritudinem & ligamentorum quibus articuli comprehenduntur naturalem imbecillitatem*, *molliorem que ossium in appendicibus suis commissuram, facile distortiones, membrorumque deformitates fient, dum aliquâ, vel repentinâ, vel continuatâ corpusculi motione, ejusque sæpiùs in latus quoddam factâ inclinatione, ligamenta infirmantur, ossicula horumque appendices Cartilagineæ pressæ, vel paululum emotæ, inæqualiter increscent, & membra, ex alterâ parte depressa, ex alterâ exstantiora fient.* Hæc præcavebuntur, si fuerit nutrix neque rudis, neque imperita, atque aptatæ fuerint infantibus vestes, quæ faveant attrectationi, motum vero necessarium, minimè coërceant ; imò, è cunabulis ipsis, in quibus sit liberum ludere, tripudiare pro sui libito, pendeant infantes ab uberibus maternis ; ita rariùs attrectatis, minùs fiet ligamentorum relaxatio, alicujusque partis deformitas. Cuncta Fasciarum incommoda, oriuntur ex pravâ fasciandi methodo ; ritè colligentur ; doceantur nutrices, omne malum fugerit, excipienturque utilitates. Quoquo modo fiat Fasciatio, premitur malis, ut pote naturæ instituto contraria, minoribus quidem, si

(a) Histoire Naturelle du Groëland.

(b) Platnerus in differtat. de Thoracibus.

rectè fiat; coegeris autem priùs relabi Sequanam, quàm mutaveris mentes fœminarum istarum, quibus committuntur infantes; monitæ iterùm atque iterùm, ad ingenium suum, ad consuetudinem usque recurrent.

Audiamus Loricarum defensores: Ergò decor omnis puellarum abit, qui præcipuus ex statu & constantiâ corporis existit. Apage nugas; est verus decor in naturâ, non in tormentis artis, fucove medicato pravæ consuetudinis: fœminas respice, quæ loricis utuntur; has, ubi dimidiam decoris sui partem posuerunt, venus fugit omnis, pendet caput, humeri fluunt, latera labant, nihil virtutis superest, nihil gratiarum; dum rustica vel plebeia virgo, quæ tali servitio non fracta est, it capite erecto, constanti, vim, robur, sanitatem præferens. Neque credere est Loricarum usum esse semper necessarium in dirigendis scapulis, quibus, si altera prominet, depressa sit altera, vis tunc infertur spinæ, cui non succurri potest, nisi scapularum situs emendetur. Loricis missis, fiet medicabile malum; scilicet flexu contrario, quo, tandem ea, quæ obliqua erant, corrigantur. Infantulos contrario brachio ferant gerulæ, mutentur illorum sedeculæ, Puellæ quæ sedent ad tendiculas, lævâ manu acum trajiciant, &c. pueris injungantur eorum vitiis accommodatæ exercitationes; v. g. ubi scapula depressior est, manu gerant bacillum paulo altiorem, quo fulti procedant; alterâ, quâ illa eminet, pondus ferant; in his ne quid nimis, incideres in Scyllam, cupiens vitare Charybdim (c). Consulatur Clariss. hujus Scholæ Doctoris liber, cujus lectionem, non jucundam minùs, quàm utilem, omni familias matri suademus. Mos Palæstræ elegantis à primis annis exerceat infantem, rudem informet & perpoliat; sit Puella culta artibus decoris, elegantiarum Magistris committatur ungue de tenero, non docenda ionicos motus, sed veneres castas, situm atque habitum pudoris, quem virtus omni ætate sectata fuit. Ergò exulent Loricæ, valeant & Opifices talis tormenti. Ne properent adhuc colligere sarcinas; sunt quas habet & diu habebit loricarum morbus, quas neque ratio, neque fletus neque deformitates infantium, à præjudiciis dimoverint: quid facias illis? jubeas miseras esse, libenter quatenùs id faciunt. Quin aliquando, in pravâ partium conformatione, Loricarum usus suaderi potest; quod Medicorum autem est, tractent Medici; Neque committatur cura hæc artis imperitis, qui Loricis durioribus, imò ferreis imprudenter adhibitis, miseros infantes excarnificant, sæpiùsque corporis deformitates augent, nedùm corrigant. Si novissima verba loricis dicantur, quot morbi, quot schirri, quot cancri miseris pendent puellis, dum mammæ, non minùs ad ornamentum sexûs, quàm ad prolis utilitatem sitæ, injuriis corporum externorum obnoxiæ fuerint. Tantæ ne vos terreant malorum minæ; loricâ levi, molli, tenuibus & lentis Balænariis virgis constructâ servabitur pectus, & illa loricæ species non habeat ligulas solùm in parte posticâ, sed etiam in lateralibus, quò Thoracis & Abdominis motibus, cedere facile queat; ita, non nihil providebitur formæ & sine sanitatis detrimento.

(c) L'Orthopédie, ou l'art de corriger & de prévenir les difformités des Enfans, par M. Andry. 2 vol. in-12.

Ergò nec Fasciæ infantibus, nec Loricæ puellis.

Proponebat Parisiis HENRICUS-JACOBUS MACQUART, Remus, Doctor medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor, A. R. S. H. 1753,

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1753.